



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

41 Professus nulliter ante aetatem, noua receptione capitulari non indiget.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

25. Calen. Augusti 1564. statuentis, ne Constitutiones a Concilio factæ ante Kalend. s. Maij Anni 1564. obligare censerentur. Quia cum lex Concilij Tridentini, quia annullatur professio intra annum probationis factæ, condita, & promulgata sit Anno 1563. quarto Decēbris, & lex omnis maxime Conciliaris iuste cōdita, & promulgata ligat post duos menses a tempore promulgationis illius. d. 4. c. in istis, §. leges, si longius tempus ad ligandū ei non præfiguratur; Aut. vt factæ nouæ const. coll. 1. §. & c. quod dict. s. dist. 16. & cap. 1. de postul. præl. consequenter etiam professionem ante annum probationis finitum em. s. m. Calen. Aprilis anni sequē. is 1564. annullat; præsertim cum prædictum Concilium Trid. sess. 25. c. 22. de regul. expresse declarauit, velle se, vt statim leges factæ in sessione ad Regulares pertinentes, executioni mandarentur, quo l. perinde fuit, ac dicere, ex nūc, siue ex hoc tempore ligent, & executioni mandent illam Episcopi, & alij Ordinum Prælati: Et cum lex hoc mandat, ligat etiam ignorantes, quo ad actus nullitatem, licet non quoad alias penas, vt ait Gloss. in Clem. 2. de hæret. in verbo, ex nūc, de quibus declaratio Papæ, vt ex tenore illius colligitur intelligenda est excusans solum a pœnis extrinsecis, quas stricto iure multatioquin contratiacientes incurrissent: Professioni vero ante illud tempus factæ nihil prodest, aut nocet, vt propterea de ea iudicandum sit, ac si nulla talis declaratio facta iudicanda fuisset nulla; si declaratio Papæ non accessisset, ita & ea accedente nulla, & inuolida censeri debet, quia professio facta pure eo momento, quo fit valet, aut non valet, nec in suspensio esse potest, (sicut nec Baptismus, ordo, vel Matrimonium) & si non valet, nec per illam declarationem validari potuit.

## DECISIO XXXIX.

Ex conf. 33. alias 62.

39. **Q**uamuis olim annus probationis in fauorem vtriusque partis, tam Monasterij, quàm illud intraturi inductus sit. c. ad Apostolicam, de regul. ita vt illi fauori ac vtriusque partis consensu renunciari posset cum iuri in fauorem suum introducto quilibet renunciare poterit; I. si quis in C. de pactis, & c. gratum, de off. del. Adeo vt in non Mendicantibus professio valde intra annum probationis fieri posset, d. c. ad Apostolicam modo tamen probationis anno, nec Monasterium, nec Nouitij renunciare possunt ex constitutione Conc. Trid. sess. 25. c. 15. de regul. eo quod annus ille non amplius ius priuatum, sed publicam religionis utilitatem respicit, iuri autem publico renunciare nemo potest; c. si diligenti de for. comp. & leg. ius publicum. ff. de pact. unde nec Regularis in una religione professus, & ad aliam translatus, anno probationis concessio renunciare valet; & professio aliter facta intra annum in secunda religione, etiam de vtriusque partis consensu nulla omnino censetur; eo quod professio ante decimum sextum completum facta, & facta ante finem anni probationis a Concil. Tr. ubi sup. parificatur; ideoque sicut professio ante decimum sextum annum de consensu Nouitij facta non valet; ita & ante finem anni probationis de consensu eiusdem facta, nulla erit, quandoquidem de parificatis idem iudicari debet. cap. licet ex quadam, de testib. & l. fin. ff. mand.

## DECISIO XL.

34. 34.  
Ex conf. 37. [alias] 17.  
43. 29.

40. **P**rofectio ante decimum sextum ætatis annum completum, uel ante finem anni nouitatus facta nulla censetur, ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de regul. nec ne per gestationem habitus indistincti ab habitu professorū, etiam intra Monasterium post annum decimum sextum completum, & etiam per alium annum integrum, putans se esse professum, eo quod putaret prædictam professionem a se factam, validam fuisse, eam validatè censetur, nisi sciens & prudens illam fuisse nullam, de nulla validam facere voluisset; ita vt ab eo tempore professus esse inciperet. vt ait Caiet. 2. 2. q. 189. ar. 5. & Nau. in Man. c. 1. 2. nu.

71. unde nec ingressus Monasterium, & post decem menses sine licentia illud egressus, & postea Monasterium aliud eiusdem religionis adiens, in quo receptus de consensu fratrum post duos menses emisit professionem, & multos annos ibi perseueras valde professus est eo, quod illam ante vnum annum continuum completum emisit ex Conc. Tr. ubi sup. Nec sufficit quod decem menses in vno Monasterio & alios duos in alios manerit, vt annus pro completo censeatur, quia annus debet esse continuus; ca. 1. de regu. in 6. Nec professio nulliter facta sine scientia nullitatis, sola perseuerantia ratificatur, ita Cai. ubi sup. & consequenter sic professus vere religiosus non est, & libere sine vlla dispensatione ad aliam religionem transire potest.

## DECISIO XLI.

35. 27.  
Ex conf. 44. [alias] 24.  
49. 27.

41. **P**rofectio in ordine Minorum ante decimum septimum annum completum ipso iure, & vi statutorum illius ordinis nulla est, & nullum producit effectum. Arg. C. de Trid. sess. 25. c. 15. de regul. & sic professus ad aliam religionem archiore, vel strictiorem transire, vel uxorem ducere poterit, si nihil aliud obstat ac si professionem illam non fecisset: cum non præter impedimentum, quod de iure non sortitur eff. c. m. c. Non præter, de reg. iur. in 6. Et licet sic ante decimum septimum completum professus, nouam professionem post illum completum facere teneatur ad hoc, vt vere professus & religiosus sit, vel publice de nouo proficendo, vel quod satis esse videtur eam ratificando, noua tamen receptione Capitulari non indiget, sed sufficit, quod Monasterium in illo consensu permiserit, quo eius professioni consensit, & eam recepit; & professio valida esse incipit a solo tempore ratificationis, & non antea.

## DECISIO XLII.

42. **C**oncilium Tridentinum sess. 25. c. 15. de regul. professiones tacitas non tollit, & ideo post illud perinde sunt habendi pro tacite professis illi, qui per annum totum nullatenus interruptum habitum in illis ab habitu professorum, ac ante illud, tulerunt; & consequenter qui habitum in anno decimo sexto, vel prius accipiunt, si illi toto vno anno gestant, donec annum decimum septimum ingrediantur, tacite professi censentur. Arg. c. 1. §. 2. de regul. in 6. & c. eos, tit. eo. Quamuis quoad hæc tacitam professionem inter eos, qui emittunt professionem ante decimum sextum annum completum, & alios qui eam non emittunt, differentia est, quod hi procul dubio professi censendi sunt, si per vnum annum totum gestent habitum, donec ingrediantur decimum septimum annum, nisi reclamant, aut protestentur, nullatenus esse scientiam proficendi, donec expresse protestentur; Alij vero, qui professionem ante decimum sextum impleverunt expresse faciunt, non censentur tacite professi, si ideo manent in Monasterio post incceptum decimum septimum annum, quia putant professionem suam valere, in quo non manerent, si eam non valere putarent, quia ad ratificationem professionis inualida factæ non sufficit in Monasterio manere, si ideo manet, quia putat valere professionem factam, & per illam obligari ad manendum, sed recipitur, quod sciat illam non valuisse nec obligari ad manendum, & eam non obstantem hæc scientia vult eam pro bona, & recta habere, & se ad eam firmandam obligari, vt tenet Caiet. 2. 2. q. 189. ar. 5. & Nau. in Man. cap. 12. nu. 71. Quia errans, & ignorans consentire non censetur, I. si per errorem, ff. de iurisd. om. iud.

## DECISIO XLIII.

36. 19.  
Ex conf. 43. [alias] 29.  
44. 24.  
46. 27.

43. **H**abitum religionis ante decimum quartum ætatis annum suscipiens, & per aliquot annos vitam in diuersis Monasterijs transiens, & tandem legitime iam a tate ad pro-